

Necne heremitarum <sup>1)</sup> meritum scandantia <sup>2)</sup> regnum.  
 Hic et virgineas gaudentes inspicere turmas,  
 Et confessorum preclaras necne phalanges,  
 Atque triumphantes in Christi laude tyrones.  
 Insonat haecque piis oppressis mole sepulchri;  
 Sanctam Hierusalem gemmis averte <sup>2)</sup> choruscantem,  
 Virginitate sacer, quam vidit mente Iohannes.  
 Taliter iniusti, quos punit leva tonantis,  
 Exclusi vita, voces dant cum prece frustra.  
 Tartarus ignivomo constrictus carceris antro,  
 Cum mortis rabie dampnatur sic sine fine.

58. In sinistro autem pariete miraculorum insignia, cuius est in honore, hoc subnotari fecit epigrammate:

Turbas astripotens verbi dulcedine pascens  
 Trans freta discipulos mandat decedere cunctos;  
 Post orare patrem conscendit denique montem,  
 Qui dum ceruleos calcatur sicco pede campos,  
 Territa tantorum stupuerunt corda virorum.  
 Petrus item domini fervens in amore benigni,  
 Fluctibus in mediis ipso opitulante cucurrit.  
 Genesar in bibulis populus diffusus arenis,  
 Venerat aeternae cognoscere semina <sup>3)</sup> vite.  
 Tunc sator ille potens, flammantia pectora mirans,  
 Ripe contiguum <sup>2)</sup> Petri conscendit in alnum,  
 Et residens turbas verbi dulcore saginat.  
 Stans Petrus in <sup>4)</sup> propria cunctato <sup>2)</sup> rege carina  
 Retia quamigeræ <sup>2)</sup> tendit maculosa cohorti;  
 His quoque demissis tacito sub murmure ponti,  
 Maxima captatur divino copia nutu.  
 Verum tanta stupens, et Christo pronus inherens,  
 Turmas terrigenas verbi venare sagina  
 Ex tunc dona capit, Iesu prebente potenti.  
 Petrus sydereæ sortitus claviger aulae,  
 Amisos huius reparat fusa prece gressus,  
 Mendacique reum, sensus virtute resectum,  
 Coniuge cum propria læto carnaliter aptat.  
 Bariona necne piam retrahit de morte Tabitam,  
 Cælitus ac illi monstratur visio talis.  
 Aeneas etiam fessus languore frequenti  
 Illius meritis percepit dona salutis.  
 Cornelii famulos audit gaudens sibi missos,  
 Illum necne sacra tinguunt baptismatis unda,  
 Eius et apicibus Simon ita precipitatur.

59. Prefatus autem Arnaldus, post eum Floriacensis loci rector constitutus, nobiliter eundem locum biennio rexit, emulatusque monimenta piissimi patris, fratrum refectorium aliptico opere venustatum ex Esopi Greci fabulis, hos reciprocos subtitulari fecit:

Vera placent odiis, mulcens blandicio donis,  
 Sic hodie pravis, vera placent odiis.

1) So verbessert der Corrector aus: monachorum. 2) Sic! 3) So verbessert der Corrector aus: semita. 4) Hs.: im.